



N.  
Januar 1664.  
an der St.

13  
JOHANNIS BERNHARDI  
*Priesen /*

ICTI CONSIL. SAX. AVL. ET CONS.  
ANTECESS. ET FACVLT. JVRIDICÆ AS-  
SESSORIS H. T. DECANI

INVITATIO  
AD LECTIONEM CVRSORIAM

A  
CLARISSIMO  
IVR. VTR. CANDIDATO  
HENR. GERH. BVCHIO

II NON. MART.  
INSTITVENDAM

---

IENÆ,  
LITERIS WERTHERIANIS.

JOHANNI BENNARDI

IGIT CONSILII SAX AVI ET CONSE  
ANTICISSIME RECENSITUR AEGAE  
SOCIOS ET PROGENITORES

HISTORIA  
AD PECUNIUM CARISCIAM

ATR. QVND PASTO  
HENR. GER. B. CHIO

INSTITUTANDVM

FATIGA AERTHEMANS



Hilosophus Lib. 3. Eth. Nicom.  
c. i. invitè facti & spontanei co-  
gnitionem ea de causa com-  
mendat, quia virtus moralis  
quælibet nec non vitium omne  
eatenus in affectibus & actio-  
nibus occupatur, quatenus vel  
laudari vel vituperari possunt, & vero non nisi spon-  
tanea vel laudentur vel vituperentur, invite facta  
vel venia vel misericordia digna habeantur. Sed  
ut huic doctrinæ major adhuc conciliaretur favor,  
inquit: præterea & legum latoribus hæc conside-  
ratio ad honores pœnasque decernendas utilis est;  
Quæ enim a morali Philosopho laudibus orna-  
tur actiones a legumlatoribus præmiis afficiuntur.  
Quas vituperandas censet Ethicus. Illis in societate  
civiliordinaria statuitur pœna; quibus autem veniam  
dandam esse putet, pœnas subeunt extraordinarias.  
Misericordiam ex actiones merentur, quando quis  
prorsus absolvendus ab omni pœna judicatus.  
Certe ad honores bene de rep. decernendos, &  
ad supplicia in improbos constituenda hanc do-

A 2

etri.

Estrinam conducere nemo facile ibit inficias cum &  
juxta Eustratium Nicæni Episcopum pium &  
doctum Interpretem Aristotelis tota in his civitatibus  
institutio versetur. Nam scire quos oporteat punire,  
quibus ignoscere, quibus item præmia concedenda,  
quibus neganda sint: non est nisi, ejus qui spontanei & inviti peritiam optime calleat. Legum  
latori necessaria hæc cognitio haut parvo insuper  
in materia restitutionis in integrum, ut ex sequen-  
tibus elucebit, est usui. Agit vero philosophus  
ante spontaneum de invito. Non quasi cum  
nonnullis ita sentientibus, invitu inter princi-  
pia actionum humanarum sit referendum, cum  
ipsarum privatio dici possit, adeo ut actio aliqua  
moralis esse definit quæ ab invito exercetur. Sed  
ut cognitio inviti in clariorem spontanei notitiam  
nos perducat: verum ideo, quod contraria juxta  
se posita magis elucescant. Vel juxta Giphanium  
quod major in his sit varietas, & magis quoque  
incurrant in oculos: nam quasi videre liceat ea,  
quæ sunt alis cogentibus, aut etiam tempestate  
aliqua impellente. Dum autem Philosophus in-  
quit: *Atque invite quidem facta dici videntur illa,*  
*qua aut vi coacti agimus aut per inscientiam.* Ar-  
bitratur Giphanius ad illum locum, quod definiat  
invit-

invite facta quadam partitione & quide[m] bimem-  
bri. Sed hac in re multo melius & præceptis Lo-  
gicæ convenientius sentit Eustратius, vel quisquis  
demum sit incertus istius explanationis autor, si Eu-  
stratium illum cum Conringio in Epistola ad Sa-  
muelum Rachelium, neges; Quia non videtur hæc  
esse proprie definitio, sed potius specierum expli-  
catio quædam, minime enim sunt definitiones il-  
læ quæ divisionibus constituuntur, ut si dicamus,  
ad esse ens quod vel agere potest vel pati. Si enim  
ejusmodi admitterentur definitiones, hoc modo  
quoque æquivoca sub una continerentur definitio-  
ne. Ut, clavis, sunt verba Eustratii latina, quæ & ja-  
nuarium instrumentum, & partem corporis animali-  
um, id est jugulum significat, posset ita definiri: Cla-  
vis est qua & fores aperiuntur & collo innexa est.  
Sed quemadmodum antea notatum cum in invite  
factis magna sit varietas ob quam communem spe-  
cierum rationem invenire non facile valemus, tole-  
randa est hæc definitio, ut quoque in similibus ac-  
cidere solet casibus, licet invite factum de utra-  
que specie univoce denuncetur. Quod ve-  
ro duplex sit invitum ex duplice privatione intel-  
lectus & appetitus oritur; Illa enim invitum  
per ignorantiam, hæc vero invitum per vim sive  
vi factum causat. Spontaneum tamen unum &  
simplex

simplex est, non attento quod alias in Topicis habetur, ut si alterum ex contrariis multipliciter dicatur, alterum quoque dicatur. Vires siquidem hæc regula perdit, cum alterum ex contrariis non habet, quod ad unumquodque alterius subiectum possit opponere. Spontanei enim natura utrasque inviti partes tollit ac destruit, Eustatio teste. Nihilominus tamen inveniuntur actiones quæ ex spontaneo & vi factō compositæ mixtæ Aristoteli appellantur, quæ majorum malorum metu vel boni alicujus parandi causa aguntur, hujusque intuitu variant. Quia profecto nemo nisi amens talia subiret, adeoque voluntaria non sunt; cum tamen is ipse qui agit, non omnino nihil adjumenti adfert, posset enim si vellet factum illud prætermittere, adeoque nec omnino vi facta sunt. Hujusmodi vero actiones iis quæ sponte aguntur sunt similiores. Cum earum fines & circumstantiae sint in nostra electione & potestate. Datur enim agenti optio ut alterutrum eligat & postmodum faciat. Principium & causa unde motus proficiscitur est in agente & propter ejusmodi actiones interdum recte quis laudatur aut accusatur vel reprehenditur. Licet difficile interdum sit, judicare, quid cui anteponendum sit, quidque præ alio perferendum. Atque etiam difficilius: in

in eo, quod decretum sit, persistare ac perseverare.  
Fere enim ea quidem, quæ expectantur, acerba  
sunt: ea vero ad quæ quis impellitur, turpia.  
Aristotele fusiis cit. lib. 3. c. i. hæc declarante.  
Quæ Paulus JCtus in l. 21. §. 5. ff. quod met. caus.  
paucis quidem verbis non tamen sine emphasi ex-  
primit, inquiens: si metu coactus adii heredita-  
tem, puto me heredem effici, quia quamvis, si li-  
berum esset, noluisse, tamen *coactus volui*.  
Unde illud JCtorum *Voluntas coacta voluntas est*.  
Interim hæc coacta voluntas utrum sit voluntas ex  
tempore, quo quæque fiunt aut geruntur, judica-  
ri debet, omnis enim vis & fundamentum actio-  
num temporibus regitur. Facta enim in rebus  
singulis cernuntur, in quibus cum alia attributa  
personæ, loca, tum maxime tempora spectari so-  
lent. Hinc Cic. lib. 3. offic. multa, quæ videntur  
natura honesta, temporibus fiunt non honesta.  
Nam si rem absolute simpliciterque consideres  
facta mixta non voluntaria sed invita sunt; Aristo-  
teles inquit ἀπλῶς, quod vertunt *per se*, ut perinde  
sit, ac si universaliter dicamus. Sed in agendis re-  
bus vana omnis universalis ratio est. Actiones  
enim in particularibus sunt, in particularibus au-  
tem spontaneæ conspicuntur. Alii existimant  
ἀπλῶς accipiendum ut non in universum signifi-  
cer,

cet, sed *ex se*; ut intelligamus ipsas ex sese actiones  
sine ulla vel loci vel temporis circumstantia esse  
invitas. Cum vero ingruunt terrores, effici sponte-  
næas: eo quod actiones in particularibus tunc  
spontaneæ dicantur, cum qui eas agit, volens &  
sponte agat. Quoniam autem externa causa ad  
hæc facta impellimur certe invita facta seu *œnōtia*  
dici posse vindentur. Hub. Giphan *supr. d. loc.*  
Posteriorem hanc quoque factorum mixtorum  
considerationem in *d. l. 21. §. 5. ff. quod met. caus.*  
Paulus complectitur, dum ait; *quia quamvis, si*  
*liberum esset, noluisse*. Sequitur inde cum coacta  
voluntas sit etiam voluntas quod coactus stricto  
jure teneatur, sed jure meliori *§. Eth. 14. l. 31. §. 1. dep.*  
obligatus non sit, quod coacti voluntas non fuerit  
libera imo absolute invita. Quia nunc juris se-  
mel constituti ratio non admittit ut actus metu  
gestus sit nullus, æquitati vero aduersetur vim in-  
ferentem ex delicto lucrum sentire *l. 116. ff. de R. f.*  
Intercedit Prætor, relinquit quidem juri legitimo  
tuam autoritatem, sed sequitur æquitatem & in  
integrum restituit sive in pristinum statum reponit.  
Sicq; aliter saltim statuit ex principiis à Justitia be-  
nigna naturali scil. æquitate. *l. i. ff. de min. sibi as-*  
*sumitis. Hahn. ad VVes. de in. integ. rest. n. 5.*

Id.

Ideoque quod metus causa gestum erit, nullo tempore prætor ratum habebit l. 21. ff. §. 1. ff. *quod met. caus. gest. erit.* Non prætor duntaxat vi gesta improbat, sed speciali quoque decreto Divus Marcus sub poena prohibet creditoribus aliter quam per judicem debitum repetere, cum vis sit & tunc, quotiens quis id, quod deberi sibi putat non per judicem reposcit. Quare qui rem ullam debitoris, vel pecuniam debitam non ab ipso sibi sponte datam sine vlo judice temere possidere, vel accepisse, isque sibi ius in rem dixisse probatus fuerit: jus crediti non habebit. l. 13. ff. *Quod met caus. gest. erit.* Nec enim privatis hominibus quidquam permittendum, quod publica magistratum autoritate sopiri posit: ne per hoc occasio detur majores in populo tumultus concitandi, ac graves turbas per privatos homines movendi. Itaque recte Cicero sua lege constituit ut justa imperia sint, eisque singuli ciues obtemperent, non ipsi potestatem exerceant. Justi enim magistratus omnia ratione gubernant idque Paulus l. 176. de R. J. confirmat. Decretum Divi Marci ad eum quoque creditorem pertinere qui crediti nomine rem non debitam occupavit contra paucos inficiantes recte alii evincunt. Ne alias melioris conditionis occupans rem non debitam quam debitum &

B

suum

siuum occupans. Et loquitur constitutio genera-  
liter & poenam omnibus indistincte scilicet amis-  
sionem juris crediti, decrevit, qui rem ullamdebi-  
toris sine ullo judice temere possident vel accipi-  
unt, generaliter itaque est intelligenda l. 8. ff. de  
publ. in rem act. Et si ejusmodi violentus creditor  
sub hac lege non contineretur, nulla coerceretur  
alia lege quod non videtur afferendum. Neque  
dicendum hac ratione contra naturam poenalium  
constitutionum hoc decretum extendi, cum,  
recte Arum. Disp. 6. Thes. 8. comprehensionem non  
extensionem esse dicat, tum ex verbis, tum ex iden-  
titate rationis. Neque adversatur praesenti constitu-  
tioni, quod legatarius propria autoritate rem  
legatam accipiens de re legata restituta possit he-  
redem convenire l. 1. §. 2. ff. quod legat. Quia posses-  
sio rerum hereditiarum vacare intelligitur, quam  
diu istae nec dum sunt apprehensa l. 1. §. Scevolæ  
ff. si quis test. lib. esse juss. fit. In l. 48. ff. d. furt. is qui  
rem siuam furto ablatam furi abstulit retinet furti a-  
ctiones, quia non autoritate propria sed judicio  
abstulit. Restrictionem tamen & hanc legem tole-  
re arbitrantur: & cum dicimus nemini licitum  
rem autoritate propria judice haut implorato ap-  
prehendere, cum hoc semper moderamine accipi-  
endum esse, si non consensu possessoris vel debito-

ris

ris rem meam vel mihi debitam accepisse qnod  
& cit.l. 13. satis indicat, quæ vi surreptam rem præ-  
supponit, non vero ob rem sponte datam poenam  
constituit. Quod alii etiam reluctante creditore  
ex l. ii. de pign. act. deducere conantur: Nec creditor  
citra conventionem vel presidialem jussionem debite  
causa res debitoris arbitrio suo auferre potest. Ergo,  
à contrario, si initio ita convenerit, suo arbitrio  
creditor fundi possessionem apprehendere poterit  
etiamsi debitor postea refragetur, nulla præsidis  
jussione expectata. Sed ad illam respondent quod  
particula vel ponatur pro Et secundum Græco-  
rum lectionem: χωρὶς συμφώνης οὐδεχιμένη  
στέψεως. Certe sèpe ita comparatum esse, ut coniuncta  
pro disjunctis accipiuntur, & disjuncta pro con-  
junctis nullum est dubium per l. 53. ff. de verb. sign.  
sed utrum hic allegato modo accipiatur clarius  
ostendatur est necesse. Alii putant quod possit  
conventio accipi pro voluntate debitoris perseve-  
rante permittentis creditoris privata autoritate in-  
gredi possessionem fundi, uti factum proponitur  
l. 30. ff. de pignor. act. Sed nec hæc legis interpreta-  
tio videtur proposito casui convenire. Quod de  
illo casu ibidem non agatur, an possit creditor pro-  
pria autoritate rem occupare: sed an debitor rem

pignoratam soluto debito possit repetere. Non itaque potest connexio fingi; debitor potest obligata pignora per actionem repetere, quia creditor non potest auferre pignora propria auctoritate. Non tamen putandum non prodesse creditor i conventionem initio contractus adiectam: quia consequitur creditor ut vi pactionis fundum occupans, debitore non repugnante, excusatitur à crimine violentiæ & poena l. 13. ff. Quod. met. cauff. Sed hoc inquit Carpz. p. 4. C. 35. d. 11. de jure civili ita obtinet, in foro autem saxon. res aliter se habet. Nam invadens per violentiam bona ab alio possessa, de jure Saxonico tenetur ea restituere, dominium vero ac jus debiti salvum habet, & actionem retinet pro recuperandis talibus bonis & debitibus. Sed huius legis latiorem, quam quoque meretur expositio nem, suscepit Clarissimus

DN. HENRICVS GERHARDVS  
BVCHIVS

Juris utrius Canditatus optimè meritus. Qui vitæ hujus lumen primum hausit anno superioris seculi octogesimo secundo, die vigesimo nono Decembris & quidem Cassellis, Hassorum Metropoli. Genitorem agnoscit, Nobilissimum atque Consultissimum Virum Iohannem Henricum Buchium, Serenissimi sui Principis, Quæstorem fidelis-

lissimum, Genitricem vero virtutibus sequioris sexus  
ornatissimam Annam Elisabetham Prudentissimi Vi-  
ri Johannis Andreæ Vielmederi Armamentarii Cassel-  
lani Inspectoris & Præfecti dum viveret meritissimi fi-  
liam. Sponsorem in sacro baptismatis actu egit,  
die sexto Jan. 1683, Vir consultissimus Gerhardus  
Vielmederus, Consul illius civitatis spectatissimus, a  
quo illi nomen Henrici Gerhardi datum. Parens ita-  
que sedulam ejus curam gerens, utin pietate, probitate  
& artibus liberalibus probe institueretur, iisdem, post  
Seaudrinium & Bettenium adhuc dum Pastorem vigi-  
lantissimum Erstenensem, ei de viro doctissimo,  
Dn. Gulielmo Roscio, nunc paedagogi Hasso-Cassel-  
lani collaboratore fidelissimo clarissimoque prospe-  
xit, qui, cum per triennium & quod excurrit jugiter & af-  
fidue privatum informando, eo annixus est maxime, ut  
voto Parentis sui satisfaceret. Qui, ut ista sua institutio  
eo melius cederet, & intentum assequeretur scopum vo-  
luit eum inter privatos parietes quidem, attamen  
coram haud paucis admodum reverendis, doctissi-  
mis, nobilissimis etiam & spectatissimis Examini-  
natoribus & auditoribus specimen aliquod profectuum  
edere, præsentiumque censuræ declamationem ex me-  
moria satis prolixam habitam subjicere, quo magis tor-  
tantisque editis speciminibus unanimi examinatorum  
& auditorum consensu & approbatione dignus reputa-  
retur, cui ad altiora & academica studia pateret aditus

&amp;



& promotio. Id quod & sexto Iduum Decembr. an. 1699  
pro voto utriusque Parentis sub auspiciis summi Nu-  
minis faventis, factum. Post hæc non diu Parens dubius  
hæsit, quam eum ad Academiam mitteret, cum ei Mar-  
purgum præ aliis ob loci vicinitatem aliaque plura com-  
moda maxime placeret. Summo autem omnium rerum  
Moderatori & Directori potius placuit, pro voluntate  
sua pristinum ejus refricare morbum, ac maximos ei do-  
lores per totum fere anni 1700 spatum iterum infligere  
ac corpus ejus admodum debilitatum adhuc magis de-  
fatigare, quo viso Parens ejus voluntatem ac sententiam  
suam plane mutarat potius ad scripturam quam ad stu-  
dia post tot tantosque morbos eum habilem duxit, do-  
nec viribus paulatim recuperatis, consilio amicorum ac  
affinium persuasione adductus, & academiam quan-  
dam petere benigne concessit, inter multas fami-  
geratissima ac inclutiissima Salana maxime arrisit, puta-  
vitque eum hic adhibita industria & assiduitate sub tan-  
torum clarissimorum doctissimorumque Virorum, se-  
dula ac fidelissima manuductione propositum suum  
scopum optime acquisitum. Idecirco ad hanc Musa-  
rum sedem delatus an. 1704 Aprilis, Rectore Magnifi-  
co Joh. Jacobo Müllerio, U. J. D. meritissimo, Mora-  
rium & Politices Prof. Publ. famigeratissimo, studioso-  
rum albo nomen dedit, præstata prius per solitum jura-  
mentum fide. Post hæc lectionibus tam publicis quam  
privatis assidue interesse studuit. Publice audiuit, Ma-  
gnifi

gnificum Ioh. Phil. Slevogtiūm, Consiliarium Saxon.  
venerandum judicij aulici & facultatis nostræ senior.  
rem, Juris Canonicis fundamenta ad ductum erotemati.  
tum Desselii inculcantem ; Prænob. atque Excellentissi.  
mum Adrianum Beierum, Pand. P.P. Facult. Scab.  
& jud. aul. assessor. gravissimum, Harmoniam Struv.  
Schnobelianam sedulo interpretantem, meque Instit. J.  
Just. docentem. Privatos vero inter parietes statim ab in.  
gressu in hanc almannam salanam Nob. & Excell. Jo. Christ.  
Schröderi Jurium Professoris celeberrimi lectionibus  
doctissimis ad Instit. Jur. Just. Juris pru. Struv. Syntag.  
mat. J. Civ. & Feudalis, nec minus ad Desselii Erote.  
mata J. Can. diligenter interfuit. Simul Nobiliss. atque  
Excellentiss. Georg. Albertum Hambergerum Phys. &  
Math. Prof. Celeberrimum ad Sturmii tabulas Mathe.  
maticas, Cellarii Geographiam differentem audivit, nec  
non Collegio ejus Physico-experimentalis curioso inter.  
esse potuit. Historiis non minus quam hisce studiis ordi.  
nariis quo minus aliquod temporis spatium tribueret,  
haud deesse potuit. Quapropter Cellarii Historiam  
universalem antiquam & nouam ut & Schwederum  
eruditissime exponentem audivit Nobilissimum ac Ex.  
cellentissimum Burck. Gotth. Struvium, Historiarum  
Professorem longe meritissimum, ejusque Fratrem, No.  
bilissimum & Consultissimum Jur. Utr. D. Struvium  
Examen Juris Feudalis Strykianum illustrantem. Præ cæ.  
teris magni facit Illustris Christiani Wildvogelii Con.  
fili.

filiarii Sax. Isen. Intimi & Antecess. famigeratiss. Praxin  
Forensem Civilem ad ductum Illustris Strykii illustran-  
tis informationem. Constitutiones vero criminales Ca-  
roli V. explicantem audivit Nob. D. Hahnemannum.  
Ultimo in studiis humanioribus secutusest ductum  
fidelissimum Nobil. Consult. Joh. Henrici Ackeri Sere-  
nissimi Ducis Saxo-Isenacensis Secretarii meritissimi,  
in Analytica, Dialectica, arte disputatoria, Metaphysica  
Politica, Epistolographia & Jure Naturæ. Sic itaque qua-  
driennio fere in hac Salana utiliter transacto, domum  
reditumque in patriam meditans testimonium vitæ &  
studiorum publicum adferret, consultum esse duxit in-  
clutam adire Facultatem Juridicam, nomenque suum in-  
ter Jurium Candidatos profiteri. Ulbi admissus ad exami-  
na utriusque Juris textus resolvendos erudite exposuit  
atque ad interrogationes adeo prompte & exactè re-  
spondit ut communi suffragio dignissimus judicatus,  
qui ad specimina publica admitteretur Craftino  
itaque die loco & horis consuetis l. 13. ff. Quod met. caus.  
interpretationem recitat. Cui Magnificus Prore-  
ctor, Academiæ Patres Venerandi, omnium Faculta-  
tum Doctores nobilissimi, bonarum artium Studiosi  
lectissimi, optimi, omnesque boni & æqui artis amantes  
proprias præbeant aures, obnixe contendeo. P.P.  
Jen. IV Non. Mart. MDCCVIII.

(L.S.)





155153

ULB Halle  
005 380 359

3



n

VD17





JOHANNIS BERNHARDI  
Scriesen/  
ICTI CONSIL. SAX. AVL. ET CONS.  
ANTECESS. ET FACVLT. JVRIDICÆ AS-  
SESSORIS H. T. DECANI  
**INVITATIO**  
AD LECTIONEM CVRSORIAM  
A  
CLARISSIMO  
IVR. VTR. CANDIDATO  
**HENR. GERH. BVCHIO**  
III NON. MART.  
INSTITVENDAM  
—  
IENAE,  
LITERIS WERTHERIANIS.